

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

Monolog des Geistes der Agrippina, der Poppaea und Nero den Tod prophezeit (Pseudo-Seneca, Praet. Octavia 593 - 645)

- 1 Tellure rupta Tartaro gressum extuli
- 2 Stygiam cruenta praeferens dextra facem
- 3 thalamis scelestis: nubat his flammis meo
- 4 Poppaea nato iuncta, quas vindex manus
- 5 dolorque matris vertet ad tristes rogos.
- 6 manet inter umbras impiae caedis mihi
- 7 semper memoria manibus nostris gravis
- 8 adhuc inultis: reddita est meritis meis
- 9 funesta merces puppis et pretium imperi
- 10 nox illa, qua naufragia deflevi mea.
- 11 comitum necem natique crudelis nefas
- 12 deflere votum fuerat, haud tempus datum est
- 13 lacrimis, sed ingens scelere geminavit nefas.
- 14 perempta ferro, foeda vulneribus sacros
- 15 intra penates spiritum effudi gravem
- 16 erepta pelago, sanguine exstincti meo
- 17 nec odia nati: saevit in nomen ferus
- 18 matris tyrannus, obrui meritum cupit,
- 19 simulacra, titulos destruit mortis metu
- 20 totum per orbem, quem dedit poenam in meam
- 21 puero regendum noster infelix amor.
- 22 exstinctus umbras agitat infestus meas
- 23 flammisque vultus noxios coniunx petit,
- 24 instat, minatur, imputat fatum mihi
- 25 tumulumque nati, poscit auctorem necis.
- 26 iam parce: dabitur, tempus haud longum peto.
- 27 ultrix Erinys impio dignum parat
- 28 letum tyranno, verbera et turpem fugam
- 29 poenasque, quis et Tantali vincat sitim,
- 30 dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem
- 31 Ixionisque membra rapientem rotam.

32 licet exstruat marmoribus atque auro tegat

1922

- 2 -

33 superbus aulam, limen armatae ducis
34 servent cohortes, mittat immensas opes
35 exhaustus orbis, supplices dextram petant
36 Parthi cruentam, regna divitias ferant:
37 veniet dies tempusque, quo reddat suis
38 animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus
39 desertus ac destructus et cunctis egens.
40 heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea?
41 quo te furor provexit attonitum tuus
42 et fata, nate, cedat ut tantis malis
43 genetricis ira, quae tuo scelere occidit?
44 utinam, antequam te parvulum in lucem edidi
45 aluique, saevae nostra lacerassent ferae
46 viscera: sine ullo scelere, sine sensu innocens
47 meus occidisses; iunctus atque haerens mihi
48 semper quietam cerneres sedem inferum,
49 proavos patremque, nominis magni viros,
50 quos nunc pudor luctusque perpetuus manet
51 ex te, nefande, meque, quae talem tuli.
52 quid tegere cesso Tartaro vultus meos,
53 noverca, coniunx, mater infelix meis?